



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones De Matrimonio

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindellicorum, 1730

Decisio XXXII. Argumentum. Implimentum Impotentiae dirimens Matrimonium in præsentī Decisione explicatur. Quid, & quotuplex sit hæc Impotentia? ostenditur. Quando, & quomodo per eam dirimantur ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94595](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94595)

ampla ad Garumnā fluvium, in qua habetur Parliamentum, ut notat Lexicon Geographicum Ferrari in *Verb. Burdigala*; & fuit Patria Aufonii Poetæ, de qua ille cecinit:

Diligo Burdigalam, Romam colo, Civis in hac sum,

Consul in ambabus: Cuna hic, ibi sella curulis.

Ex his igitur hucusque dictis, & deductis satis comprobatur remanet, summum Pontificem posse dispensare in quocunque gradu Affinitatis, etiam in primo utriusque lineæ rectæ, ac transversæ, sive Affinitas orta sit ex copula fornicaria, & illicita; sive ex licita, ac conjugali, ut ostendunt Corradus in *Praxi dispens. Apostol. libr. 7. cap. 1.* & Vinc. de Justis in *cod. tract. d. libr. 2. cap. 7. à num. 93.* ubi DD. congerit; prout etiam latè probat Diana Coordinatus d. tom. 3. tract. 1. resol. 80. cum tribus seqq. advertens, eatenus non reperiri exempla dispensationum Affinitatis in primo gradu lineæ rectæ, ut & nos diximus supra num. 45. quatenus non est ita facile, ut intercedat causa iusta, urgens, & necessaria ad dispensandum in eodem primo gradu rectæ lineæ; adeo ut non ex defectu potestatis in Papa, sed ex deficientia causæ iustæ deficiant exempla, ut in puncto dicit idem Diana Coordinatus ubi supr. resol. 81. §. 10. Salmanticenses d. cap. 12. n. 100. Lezana in *Summa tom. 3. Verb. Affinitas. num. 3.* ubi docet, spectare ad solum Summum Pontificem dispensare super Affinitate, quando agitur de contrahendo Matrimonio inter Affines: quod si Affinitas superveniat post Matrimonium contractum, posse etiam Episcopum dispensare cum conjugē incestuoso ad petendum debitum, ut docuimus supra num. 13. Utrum autem Regulares confessorii habeant facultatem dispensandi cum incestuosus, ut valeant petere debitum? Quamvis affirmant Sanchez libr. 8. disp. 16. num. 8. Portellus *Verb. Confessor Regularis erga seculares num. 23.* & alii; ipse Lezana dubitat, quia olim talis facultas competeat Regularibus per vivæ Vocis oracula; quæ post Annum 1631. revocata fuerunt ab Urbano VIII. quapropter ipsi consulant conscientie suæ, & ulterius advertant, esse necessarium, ut iidem sint specialiter deputati à suis Superioribus ad dispensandum cum incestuosus, quia non sufficit sola deputatio ad Confessiones audiendas; & quod iusta causa debet intervenire, ut dispensatio concedatur, ut ait Lezana *ibid. num. 5. 6. & 7.* ab iisdem Confessorii Regularibus videndus.

DECISIO XXXII

ARGUMENTUM.

Impedimentum *Impotentia* dirimens Matrimonium in præsentī Decisione explicatur. Quid, & quotuplex sit hæc *impotentia*? ostenditur. Quando, & quomodo per eam dirimantur conjugia? Docetur, decem esse personas ad Matrimonium validè contrahendum impotentes, nempe: 1. Nimis frigidas.

2. Nimis calidas. 3. Defectum in veretro patientes. 4. Excessum in eodem portantes. 5. Arctas mulieres. 6. Maleficiatos. 7. Impuberes. 8. Senes. 9. Eunuchos. 10. Hermaphroditos. Prædictorum omnium Matrimonia quando invalida sint censenda & quomodo sint irrita declaranda? Theologorum, Canonistarum, ac Medicorum eximii doctrinis demonstratur, atque Rotalibus Decisionibus, & lepidis Historiis, ac exemplis definitur.

SUMMARIUM.

- 1 *Impotentia dirimens Matrimonium quæ, & qualis sit?*
- 2 *Sterilitas in generando, Matrimonium non dirimit.*
- 3 *Impotentia quo Jure dirimat Matrimonium?*
- 4 *Impotentia multiplex d'v'iso.*
- 5 *Impotentia perpetua dirimit Matrimonium, Temporalis non.*
- 6 *Si tamen præcesserit illud, Secus si subsequatur.*
- 7 *DD. in explicando Impotentia impedimento obsuri.*
- 8 *Impotentes ad copulam Persona decem, Et quæ?*
- 9 *Frigiditas, impediens copulam, quæ, & quotuplex sit?*
- 10 *Frigiditatis naturalis signa quinque.*
- 11 *Hæc dirimit Matrimonium.*
- 12 *Frigiditas accidentalit quæ? Et unde oritur?*
- 13 *Cohabitatio triennalis necessaria circa ipsam.*
- 14 *Triennium in casu impotentia incipit à die Decreti Judicis.*
- 15 *Impotentia durante post triennium, sit declaratio nullitatis Matrimonii, sed cum Juramento.*
- 16 *Frigiditas mulieris nulla Matrimonium dirimit.*
- 17 *Impotentia Viri ex nimia caliditate quæ sit?*
- 18 *Caliditas nimia, quæ non sanatur per triennium, dirimit Matrimonium.*
- 19 *Mentula brevitatis, ac exilitatis causant impotentiam in Viro.*
- 20 *Mentula brevitatis exempla.*
- 21 *Umbilicus infantis quomodo ab obstetrice rescindendus?*
- 22 *Virge virilis defectus plures.*
- 23 *Penis excessus duplex, nimia longitudo, & crassities.*
- 24 *Pinguedo nimia Ventrifacit conjugem ad copulam impotentes.*

25 *Respectu.*

- 25 *Respectiva impotentia quæ sit? Et an Matrimonium dirimat?*
- 26 *Arctitudo in muliere quando dirimat Matrimonium?*
- 27 *Mulier arcta an teneatur pati incisionem?*
- 28 *Maleficiati impotentes ad Matrimonium qui sint?*
- 29 *Maleficium ligaminis à Demone sit modis septem.*
- 30 *Innocentii III. Epistola ad Reginam Uxorem Philippi Regis Franciæ maleficiati.*
- 31 *Maleficia ligaminis vel universalia, vel respectiva.*
- 32 *Respectiva, vel perpetua, vel ad tempus.*
- 33 *Quibus mediis auferenda?*
- 34 *Triennium semper assignandum pro tollenda impotentia ex maleficio.*
- 35 *Maleficiatus post solutum Matrimonium, si fiat potens ad copulam, an teneatur redire ad illud?*
- 36 *Impuberes ab antiquis ad Matrimonium non admittebantur.*
- 37 *Annus 14. in masculo, Annus 12. in femina debet esse completus ad Matrimonium per verba de præsentis contrahendum.*
- 38 *Impuberes an peccent nubendo ante præscriptam ætatem?*
- 39 *Ætas in impuberibus an debeat esse Mathematica & completa?*
- 40 *Malitia si suppleat ætatem, ætas completa non expectatur.*
- 41 *Impuberum exempla, qui feminas gravidarunt.*
- 42 *Parochus impuberum Matrimonia admittere non debet.*
- 43 *Puberes post Annum 14. contrahentes, si impotentes sint, quid agendum?*
- 44 *Impotentia, si dubium sit, an præcesserit Matrimonium, quid agendum?*
- 45 *Senes usque ad quam ætatem possint conjugium contrahere?*
- 46 *Senum, qui in senectute genuerunt filios, exempla.*
- 47 *Moribundus an validè nubat?*
- 48 *Eunuchorum Matrimonia nulla ex Bulla Sixti V.*
- 49 *Eunuchorum species tres.*
- 50 *Putifer Eunuchus, qui emerat Joseph, quomodo habebat Uxorem?*
- 51 *Hermaphroditi, quomodo, & quando possint nubere?*

DUODECIMUM Impedimentum dirimens Matrimonia est *Impotentia* ad illa perfectè consummanda, per coitionem, simul cum seminis in debito Vase naturali effusione: utrumque enim requiritur; quia si unum horum absit, irritum est Matrimonium. cap.

Landabilem, & ibi Abb. num. 1. *De Frigid. & Malef. Zacchias in QQ. Medicolegal. lib. 3. tit. 1. q. 1. n. 2.* Et hoc sive talis Impotentia proveniat à parte Viri, sive à parte Mulieris; dummodò fuerit eo tempore, quo Matrimonium contractum est; secus autem si subsequatur. Tale autem impedimentum dirimens vocatur *Impotentia ad perfectè consummandum Matrimonium*; non autem *Impotentia ad generandum*; quia licet finis principalis Matrimonii sit proliçatio; ex hujus finis defectu tantummodò non irritatur conjugium, quando conjuges apti sunt ad copulam carnalem perfectam exercendam; cum secundarius Matrimonii alius finis sit exercitium copulæ in remedium concupiscentiæ, ut ex doctrina Scoti bene disserit Matrius in 4. disp. 7. n. 411. inferens, quòd licet conjuges sint steriles, nihilominus eorum Matrimonium est validum, quando potentes sunt simul coire, & seminare, quia non sterilitas in generando, sed impotentia in coeundo, ac seminando impedit, ac dirimit Matrimonium, tum Jure naturali; quia in Matrimonio traduntur corpora conjugum adinvicem ad hunc finem coeundi, ac seminandi; & licet copula actualis non sit de essentia Matrimonii, est tamen de essentia, ut tradatur corpus potens ad dictam copulam; & qui caret hac potentia, nulliter contrahit, quia tradit corpus penitus ineptum; & quamvis usus sit diversus à dominio, non potest transferri dominium cum impossibilitate usus; & sic de Jure naturali irritum est Matrimonium, ubi non est potentia coeundi, ac seminandi; tum etiam Jure Ecclesiastico ex pluribus text. in disp. 33. q. 1. Et in cap. 2. cap. Fraternitatem. cap. Quod Sedem. cap. Consultationi, cum aliis seqq. *De Frigidis, & Maleficis.* ut concordè calamo scribunt Theologi, ac Canonistæ de hoc impedimento impotentiae tractantes. Sanchez de Matrimo. libr. 7. disp. 89. Layman libr. 5. tract. 10. par. 4. cap. 13. Bonacina eod. tract. de Matrimo. q. 3. punct. 13. Aversa q. 13. sect. 1. Salmanticensis tract. 9. cap. 12. à num. 103. & seqq. Emin. Card. de Lauræa disp. 23. per totam. Vinc. de Justis de Dispensat. Matrimo. lib. 2. cap. 17. annu. 7. latè Sperellus Decis. 141.

Quamvis autem plures divisiones hujus impotentiae tradantur à DD. quas ponunt Salmanticensis d. cap. 12. num. 104. videlicet, quòd alia sit naturalis, alia accidentalis; Item alia ab intrinseco, alia ab extrinseco; alia respectiva, alia absoluta; alia ex facto hominis, alia ex arte Damonis; una tantum divisione contenti sint Studiosi nostri, quæ satis est ad dignoscendum, quando ipsa impotentia dirimat Matrimonium, vel non; & hujusmodi magistralis divisio impotentiae est, quòd alia *Perpetua* existit, & alia *Temporalis*. Illa dicitur *Impotentia Perpetua*, quæ tolli non potest absque miraculo, vel absque corporali vitæ, gravissimique morbi periculo, vel absque peccato. E contra illa censetur *Temporalis*, quæ absque prædictis inconvenientibus auferri potest. Prima, si Matrimonium præcesserit, illud impedit, & dirimit. Non etiam

etiam Secunda. cap. Fraternitatis, De Frigid. & Maleficiatis. Sanchez d. libr. 7. disp. 93. n. 8. Bonacina d. q. 3. punct. 13. num. 1. Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 17. num. 6. & 7. Salmanticenses d. cap. 12. num. 107. Gobatus tract. 9. de Impedim. Matrim. num. 415. & aliis omiffis Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 23. art. 2. per totum, ubi hanc regulam ampliat, quod scilicet Impotentia perpetua Matrimonium dirimat, sive ipsa Impotentia sit cognita, sive ignorata; sive sit naturalis, sive sit causalis; illam tamen restringit, dommodo hujusmodi Impotentia perpetua adsit ante contractum Matrimonii, & illud præcesserit: quia si subsequatur, nec impedit, nec dirimit, etsi tantummodo ratum sit, & nondum consummatum. cap. Hi qui. 32. qu. 7. cap. Si Uxorem. 32. q. 5. quod etiam docent plurimi, quos allegat Sanchez d. libr. 7. disp. 102. num. 3. & Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 17. num. 10. subdens, in tali casu, solum per ingressum in Religionem, vel per Pontificis dispensationem dissolvi posse Matrimonium ratum, cui talis impotentia perpetua in conjugio subsequitur.

Cæterum, quia Theologi, ac Canonistæ in explanando, Quæ sit Impotentia Perpetua Matrimonium dirimens, & quæ Temporalis non dirimens? vel obscuri nimis, vel valde confusi sunt, plurimas Impotentiae species in abstracto proponentes, easque adinvicem complicantes; ad majorem facilitatem, ac breviter, quibus nos studemus, melius esse ducimus proponere omnes personas, quas ex diversis causis Impotentia coeundi, simulque seminandi sæpe laborare contingit: siquidem de iisdem personis impotentibus singillatim differentes, eorundem Impotentiae causam, perpetuitatem, vel temporalitatem facilius intelligemus; ac subinde cognitum nobis erit, quando Impotentia in eis dirimat, vel non dirimat Matrimonium. Igitur sciendum, decem esse Personas, quæ solent laborare Impotentia ad perfectam copulam (scilicet coeundo, ac seminando) adimplendam, videlicet: 1. Qui nimis sunt frigidi. 2. Qui nimis sunt calidi. 3. Qui in veretro defectum patiuntur. 4. Qui in eodem nimium habent excessum. 5. Mulieres nimis arctæ. 6. Qui sunt maleficiati. 7. Qui impuberes sunt, & legitimam ætatem non habent. 8. Qui in nimia ætate sunt, nempe Senes. 9. Qui Eunuchi sunt, vel Spadones. 10. Qui verè Hermaphroditæ. Hi omnes sunt, de quibus disputant DD. an in eis Impotentia dirimat Matrimonium? De iisdem, omni possibili brevitate, quæ dici possunt, dicamus.

Quo ad Primos, illos scilicet, qui nimis sunt frigidi, sciendum est, secundum celeberrimum Medicum Romanum Paulum Zacchiam infra citandum, frigiditatem vel provenire à natura, vel à morbo aliquo accidentali. Tunc frigiditas provenit à natura, quando Vir magnam intemperiem patitur vel in Cerebro, vel in Corde, vel in Hepate, vel in internis vasibus generationi deservientibus; ex qua naturali intemperie pauci admodum spiritus generantur, ac universus san-

guis est frigidior; & qui tales sunt, nunquam, aut de raro admodum, usum venererum experiuntur, ut differit prælaudatus Medicus Zachias *Q. Q. Medicolegal. d. lib. 3. tit. 1. q. 3. num. 5. & q. 5. à. num. 1. & seqq.* ubi num. 22. notat hæc signa ad cognoscendam frigiditatem provenientem à natura: 1. Paucitas pilorum, aut omnimoda carentia in inguinibus præcipue, ac etiam in barba. 2. Penis flacciditas, & inexcitabilis mollities; vel si tantisper erigatur, minimum temporis in erectione perduret, sed confestim elanguescat; siquidem, falsum esse, ait, quod docet Sanchez libr. 7. disp. 94. num. 6. nunquam scilicet in frigidis penem erigi. 3. Aversio quædam connaturalis à commercio veneris, & quibusvis veneris rebus. 4. Si defluat ex eo semen tenue, & aquosum, nullisque spiritibus turgens. 5. Testium aut carentia omnimoda, aut eorum parvitas, aut non naturalis situs. Idcirco num. 27. subdit idem Zacchias: *His signis ergo, aut eorum pluribus, prætoribusque præsentibus, frigiditatem quoque præsentem esse judicari potest, quæ neque in dubio revocanda tunc temporis est, tanquam ex his signis concludentissimè probata, & absque dubio separari illico Matrimonium potest, non expectato tritu.* Brunell. de Sponsalib. & Matrim. concl. 28. num. 16. Malcardus conclus. 312. num. 16. rationem hanc reddens: *Quia talis frigiditas conspicua sit, ope Medica reparari nullo modo non potest, ut Medicis est notissimum.* Hoc idem, idest hac naturali frigiditate attentæ, esse statim declarandum irritum Matrimonium, docent etiam Sanchez d. libr. 7. disp. 92. num. 7. Aversa de Matrim. q. 13. sect. 2. Vinc. de Justis, alios cumulans d. lib. 2. cap. 7. num. 12. Gobatus tract. 9. num. 4. 5. & num. 420. Salmanticenses d. cap. 12. de Matrim. num. 105. Matrius in 4. d. disp. 7. num. 422. & Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 23. num. 21.

Frigiditas autem veniens à morbo accidentali est illa, quæ caulatur vel ab humoribus superfluis frigidis, refrigerantibus, partiumque calorem extinguentibus, calorem, & spiritus dissipantibus, eundem calorem obruendo, partes relaxando, & virtutem obtundendo. Zacchias d. libr. 3. tit. 1. q. 1. num. 13. & 14. Vel quæ inducitur ex longis, & difficilibus morbis; ex valida capitis, seu cervicis, aut spinæ percussione; aut ex larga sanguinis evacuatione, facta ultra vires, præcipue autem ex quibusdam venis, ut ex iis, quæ sunt post aures, ex quarum sectione ex auctoritate Hippocratis in libr. de Genitura, & aliorum Medicorum, hominem reddi infæcundum, & ad Venerem ignavum, ac impotentem testatur ipsemet Zacchias d. libr. 3. tit. 1. q. 5. num. 38. & lib. 9. tit. 9. q. 2. num. 7. ubi proficitur, quod Frigiditas accidentalis non semper abique remedio est, præcipue si vires rescii, procedente tempore, videantur; si ætas adhuc gravis non sit, si malum de recenti præcessit, si adhuc remedia saltetm validiora in usum protracta non fuerint.

Igitur

Igitur ubi casus occurrat de Impotentia coeundi, ac seminandi ob supradictam frigiditatem accidentalem, non statim solvitur Matrimonium tanquam irritum, & nullum; sed opus est triennali cohabitatione quoad lectum, & lectum eorundem conjugum, ut, ex doctrina Sanchezii d. libr. 7. disp. 108. per totam, dixit Rota coram Card. Seraphino Decis. 687. eadem Rota in Pampilonensi Matrimonii die Veneris 11. Decembris 1615. coram Coccino, impressa apud d. Zacchiam post tom. 2. Decis. 40. nec non in part. 1. recent. Decis. 691. Et docent Theologi, ac Canonistæ, quos citant Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 17. num. 27. & 28. & Sperellus Decis. 141. num. 8. & 9. quæ quidem triennalis cohabitatio, & condormitio datur ad experiendum, an ex medicamentis, aliisque remediis cesset coeundi Impotentia; qua non cessante in dicto triennio (quod juxta veriorum Sententiam à die Decreti Judicis incipere debet. Basilius Pontius libr. 7. cap. 66. num. 12. Genuensis in Praxi Curia Archiepisc. Neapolit. cap. 103. num. 2. Adden. ad Rotam part. 4. recent. Decis. 392. num. 22. tom. 2. & idem Sperellus plurimos sic docentes cumulans d. Decis. 141. num. 50. & 60. ubi tamen subdit: *Esse verum, quod ubi agitur de Impedimento frigiditatis, quando Conjuges per plures annos cohabitaverunt, & condormiere, potest Juxta arbitrium circa tempus ad cohabitandum; & adducit de hoc arbitrio plures Decisiones Rotales*) qua, inquam, Impotentia non cessante in dicto triennio, vel alio termino à Judice assignato, devenitur ad declarationem nullitatis Matrimonii, prævio tamen Juramento ipsorum conjugum, & septimæ manus propinquorum eorundem, quod per præscriptum tempus simul cohabitaverint, & operi nuptiali incubuerint, nec tamen potuerint commisceri. cap. fin. ubi Gloss. & DD. de Frigidis & Malefic. Rota part. 4. rec. tom. 2. Decis. 392. num. 3. & 4. & Decis. 445. num. 1. & 2.

Huculque dicta de Impotentia ob frigiditatem tum Naturalem, tum Accidentalem intelligenda sunt de utraque frigiditate considerata in Viro; nam earum neutra ad effectum dissolvendi Matrimonium considerabilis esse potest in Muliere juxta ejusdem Zacchiæ doctrinam libr. 7. tit. 3. qu. 6. num. 1. sic scribentis: *Porrò in femina non datur Impotentia ad coeundum, nisi ex causa imperforationis, cujus curam tentare, absque evidenti vitæ periculo, non est illicitum. Aliàs nunquam Mulier est impotens ad exercendam Venerem; sed aliquando fit, ut in coeundo nullam percipiat voluptatem, quam Medici interdum aptis medicamentis procurant. Ergo id in muliere vel sit ob solam voluptatem, vel ob prolis desiderium, cum privatio delectationis in coitu conceptionem secundum plurimos impediatur. Non fit autem unquam ex causa sati faciendi debito, quia absque concupiscentia mulier satisfacit. Doctrina hæc satis est notatu digna; quia hoc Impotentia Impedimentum dirimens, de quo agimus, ex una tantum causa potest provenire in Muliere, idest ex arctitudine, de qua infra num. 26. quam hic ipse Zacchias refert sub nomine imperforationis.*

Doct. Clericali. Tom. II. Lib. VI.

rationis; secus autem ex sola frigiditate, ut ex S. Thoma in 4. dist. 34. q. 9. Unica art. 2. ad 6. docet etiam Sanchez d. libr. 7. disp. 92. sub num. 1. advertens, quod mulier, quæ arcta non sit, ex nulla alia causa potest allegare hoc Impotentia Impedimentum.

Quo ad Secundos Impotentes, illos scilicet, qui nimis sunt calidi; scire oportet, non raro insurgere Impotentia impedimentum in Viris ob exuperantem caliditatem sanguinis, qua ebulliente sequitur, ut cum Vir accedit ad debitum conjugale solvendum, in eodem instanti semen extra Vas jaculat; nec amplius virtutem habet se copulandi, ut differunt Salmanticensis d. tract. 9. de Matrimon. cap. 12. num. 106. his verbis: *Et non solum Impotentia Perpetua judicatur, quando Vir ob frigiditatem, vel debilitatem sui nequit claustra pudoris per instrumentum virile penetrare; sed etiam quando propter nimium calorem nequit in totum, vel in partem semen intra Vas naturale immittere; & semper talis effusio anteverit coitum. Idcirco si talis excessivus calor per refrigerantia medicamenta insanabilis triennio evadat, Matrimonium declaratur irritum & nullum, tanquam ex perpetuo Impotentia impedimento; Quia de ratione Matrimonii (ait Sanchez d. libr. 7. disp. 92. num. 7.) est traditio potestatis corporis ad copulam conjugalem. At non reputatur copula conjugalis deficiente semine. Coitus enim solum est via ad actum conjugalem perficiendum. Item quia ad Matrimonii valorem desideratur copula, per quam conjuges una caro efficiantur, ut constat ex cap. Laudabilem. de Frigid. & Malefic. ibi: *Uterque jurejurando dicat, quod nunquam per carnis copulam una caro effecti fuissent, & tunc videtur, quod mulier possit ad secundas nuptias convolare. Quod idem habetur in cap. 2. 33. q. 1. Hæc Sanchez, qui subinde citat innumeros Theologos, ac Canonistas hoc ipsum docentes; adeo ut sit de indubitabili, quod si nimius calor, ob quem Vir non potest seminare intra Vas conjugis, nullo medicamine temperari, vel emendari possit, causet impedimentum perpetuum, ex quo Matrimonium censetur nullum. Salmanticensis d. cap. 12. num. 106. Castropalus tom. 5. disp. 4. punct. 14. §. 2. Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 17. num. 13. Martinus Perez de Matrim. disp. 37. sect. 2. num. 8. Gobatus d. tract. 9. num. 417. & Aversa de Matrimon. quest. 13. sect. 2. Vers. Primò, & præcipue, ubi sic concludit: *Sed potest esse, ut etiam & nimio calore Vir non possit habere copulam; si vedelicer statim ad primum conatum congregiendi cum femina, præproperè extra Vas semen effundat. Quod licet vix contingat, tamen pariter sufficit ad dirimendum Matrimonium, ut notavit D. Thomas in 4. dist. 34. quest. 1. art. 2. Si tamen arte medicina, sive naturalibus remediis, possit Vir juvari ad perficiendam copulam; tunc non est simpliciter impotens, sed valebit Matrimonium.***

D d

Quo

Quo ad Tercios Impotentes; hi sunt, qui defectum in mentula patiuntur externum, & quidem duplicem, brevitatem scilicet, seu exilitatem, ut scribit Zacchias *Q. Q. Medico-leg. libr. 9. tit. 3. quest. 3. num. 2.* asserens, utrumque defectum esse considerabilem, & generationis impeditivum, præcipue brevitatem; nam subdit: *Illud tamen negari non potest, aptiorem esse longam mentulam, licet admodum exilis esset; ad penetranda loca muliebria, & devirginandam Sponsam, quam mentulam breviorē, licet crassam; nam quantumvis crassa esset, posset ob sui brevitatem impedimento esse, ne Sponsus posset Sponsam devirginare, quia non posset ad interiora pervenire; & Hymenis membranam dirumpere.*

De defectu brevitatis virilis virgæ frequentia habentur exempla apud DD. Schench. *libr. 4. observat. tit. de Pene, & Præputio* scribit, fuisse infantem, qui dotabatur quidem seroto, & testibus: sed pene omnino carebat, in ejus loco foramen erat, per quod urinam reddebat. *Felic. Plater. libr. 1. observ. in ast. vener. defect. mulierem vetulam, ait, nupsisse Viro habenti mentulam digiti magnitudine. Hostiensis in Summ. libr. 4. tit. De Frigidis, & Malefic. num. 14. notat, fuisse Virum, qui habebat Virgam ad modum verruce, vulgò nata, sed tamen non poterat extendi in longum. Consimilem defectum cujusdam Nobilis Patavini memorat Menochius de Arbitr. Judic. casu 519. num. 3. Famulus meus testatur mihi, habere nepotem ex fratre viventem, ejus penis similis est cochleæ. Gobatus d. tract. 9. num. 410. narrat casum hunc: Rutilius homo plebejus celebrat nuptias cum Rufina Virgine, quæ experia ipsum laborare impotentia, petii divortium. Mandato Judicis Ecclesiastici visitantur accuratè uterque; deprehenditur Rufina esse Virgo, immisque: At verò unus Medicinæ Doctor, atque duo Chirurghi, inspecta Rutilii partis genitalis constitutione, esse breviorē judicant (causa referebatur in obstetricem, quæ erraverat in Umbilico rescindendo) quam ut Rutilius mulieris Vas penetrare valeret. Quare fuit illud Matrimonium pronuntiatum nullum. factaque Rufina potestas nubendi, cui vellet; Rutilio verò inhibitiō adspirandi ad ullius amplexus conjugales.*

Sed dicit aliquis, in quo erratum fuit ab obstetrice rescindente Umbilicum? Dicerem in eo, quod nimis propè ventrem ipsum resciderit, cum per duos aut tres transversos digitos altius faciendū sit Umbilici rescissio, juxta doctrinam Joannis Veslingii (Anatomix celeberrimi Professoris, in hoc Publico Gymnasio Patavino, tempore, quo ego ipse Jurisutriusque studiis vacabam) in suo Synagmate Anatomico cap. 8. in Comment. Verb. Umbilico jam separato; ubi ita advertit: *Infantem ex uteri ergastulis egressum, ubi gremio suo obstetrice excepit, Umbilicalem ductum apprehendit, eumque ad paucorum digitorum transversorum longitudinem propè abdomen infantis rescindit. Igitur Umbilicus non est scindendus propè ventrem infantis, sed in aliqua distantia; quod si juxta ventrem, eique vicinissima fiat Umbilici rescissio: cum ipse sit una, & eadem linea cum pene virili, retrahitur penis ab illa umbili-*

ci indiscreta scissura, & afficitur brevitatem, ex qua homo fit impotens ad conjugalem copulam, & ad validè Matrimonium contrahendum. Zacchias *libr. 3. tit. 1. q. 6. num. 6. & d. libr. 9. tit. 3. q. 3. per totam*; ubi insinuat alios contingibiles in virili virga defectus, nempe tortuositatem, obliquitatem, & distortionem, quam feri, dicit, ex quodam tuberculo ad modum fabæ, vel glandule, qui pene staccido, & dimisso existente, ob sui parvitatem, vix percipitur; sed ubi penis distenditur, contorquetur in latus illud, in quo tuberculus reperitur; unde fit, ut & copule, & generationi impedimentum affert. Quare ex his defectibus in instrumento à natura instituto ad consummandum Matrimonium, cum impotens evadat Vir ad hujusmodi consummationem, si de facto conjugium contrahat, illud est nullum, irritum, & invalidum ob impotentiam Impedimentum; quod quidem dicitur evidens, & ex sola inspectione Medicorum probatum. Rota apud Farinacium, post ejus Consilior. *libr. 1. Decis. 75. num. 1. & ibi in addit. Mascardus de Probat. conclus. 311. & conclus. 816. & sic tanquam evidens, & non egens alia experientia* Judex statim pronunciare potest super ejus nullitate, juxta Magistralem Decisionem coram Coccino *part. 1. m. Decis. 695.*

Quo ad Quartos Impotentes: tales reputantur Viri, qui excessum patiuntur in pene; & hunc dupliciter vel ex nimia longitudine, vel ex nimia crassitie; prout de utroque excessu differit Zacchias *libr. 3. tit. 1. quest. 7. ubi num. 2. ait, quod ex Medicorum judicio omnino impeditur coitus ob virilis membri crassitiem, potissimum, si mulier sit aliquantulum arcta; & num. 5. hæc subdit: Si Vir habeat Virgam jussu longiorē, Mulier autem uteri cervicem nimis brevem, tunc Mulier maxime rē laderetur à Viri congressu, & fortasse nullatenus illum admittet, quia ex eo non modo dolorem, & angustiam patiretur, quod in internum uteri osculum membrum impingeret, sed ea res discrimine non vacaret, quia tumorem, & inflammationem, & fortè etiam Sphacelum (id est gangrænam) in utero generare posset. Idcirco ex utroque excessu prædicto insurgeret Impedimentum impotentiae irritans, & invalidans Matrimonium; ut pluribus DD. citatis firmat Sanchez d. libr. 7. disp. 93. num. 4. Alium quoque excessum insinuat idem Zacchias d. q. 7. num. 7. videlicet ex luxuriante abdomine in utroque conjugē; hoc est, ex utriusque Ventris superabundante pinguedine, ejus causa quasi occultantur in utroque genitalia; & ipse Ventris tumor impedimento est, ne conjuges ad actum coitus pervenire possint, aut perfectè copulari; & ex hoc insurgere impedimentum dirimens opinatur, quia difficillimum est, imò impossibile arti Medicæ hoc vitium emendare, & talem superexcedentem pinguedinem manere; subdit tamen num. 8. Existima-*

verim ob hanc impotentiam ex parte unius tantum conjugis, Matrimonium non debere separari, quia hoc impedimentum est aliquo modo reparabile.

Hoc autem loco tam Theologi, quam Canonistae disputant, Utrum Impotentia, etsi perpetua, si respectiva tantum sit, irritet Matrimonium? Pro intelligentia quaesiti, sciendum est, illam dici Impotentiam in conjugibus respectivam, quando inter eos copula maritalis praticari non potest, puta ob excessum mentulae in Marito, & angustiam valis in Uxore; at si Maritus accedat ad Mulierem, hiantem uterum habentem; vel Uxor nubat Viro medio cre veretrum gestanti; impotentia cessabit, quia inter hos ob proportionem Instrumentorum absque magna difficultate maritalis copula haberi poterit. Qua in disputatione, etsi aliqui DD. putaverint, Matrimonium ob respectivam impotentiam non esse irritum; & ad illud irritandum requiri impotentiam absolutam: Verior tamen opinio est, & à Theologis communiter approbata, quod impotentia respectiva irritat, & invalidat Matrimonium inter eodem conjuges, respectu quorum copula non est praticabilis, ob unum ex supradictis excessibus in eorum genitalibus, quando nulla medicinali ope sunt corrigibiles; ut pluribus DD. allegatis tenet Sanchez d. lib. 7. disp. 93. num. 4. Basilii Pontius eod. lib. 7. cap. 61. Aversa d. quest. 13. sect. 3. & iidem accedunt Salmanticenses d. cap. 12. de Matrimoni. num. 118. Novissime ita approbant Mastrius in 4. disp. 7. num. 424. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 102. ubi contrariis respondent, & ostendunt, quod post declaratum irritum Matrimonium ob impotentiam illos conjuges respectivam, poterunt iidem contrahere cum aliis, cum quibus sit debita instrumentorum proportio.

Quo ad Quintos Impotentes, nempe feminas, quae nimia arctitudine laborant; tunc dicuntur hoc impedimento affectae, quando claustra pudoris ita arcta retinent, ut à conjugē nequeant referari. In hoc casu, ad decidendum an Matrimonium sit nullum, nec ne? procedunt DD. cum hac distinctione: Si absque mortis periculo eadem pudoris vasa vel arte medicinae, vel incisione, vel aliquo instrumento (absque peccato) possunt aperiri, & relaxari; tenendum est pro Matrimonii validitate: at si praedicta arctitudo tolli non potest, nisi cum periculo vitae, vel cum peccato, pronuntiatur pro nullitate conjugii ex impotentia perpetua ob arctitudinem, quae censetur omnino insanabilis. Sanchez d. lib. 7. disp. 93. num. 8. Bonacina de Matrim. quest. 3. punct. 13. num. 2. Aversa d. quest. 13. Vers. Tercio. Basilii Pontius d. lib. 7. cap. 62. per totum; & Salmanticenses eod. cap. 12. num. 115. ubi alios cumulant.

Sed difficultas est, An mulier teneatur pati incisionem? Circa quam respondent omnes DD. quod, ubi fieri incisio non potest, nisi cum periculo vitae, vel cum peccato? in hoc casu Uxor non tenetur exponere seipsum ad dictam incisionem; imò neque si cessaret peri-

culum vitae, sed ageretur de magno incommodo, & de longa infirmitate hanc ob causam proventura. Hurtadus disp. 112. de Matrim. diff. 3. Basilii Pontius d. cap. 62. num. 4. Salmanticenses d. cap. 12. num. 121. Diana Coordinatus tom. 2. tract. 6. resol. 160. cum duabus seqq. ubi ample differt de hac incisionis, & aperitionis claustris sufferendae obligatione. Sperellus d. decis. 141. num. 41. Mastrius d. disp. 7. num. 429. in fine, & Aversa d. q. 13. sect. 2. Vers. Tercio. ubi ulterius adjungit hoc notabile dictum: Imò si contingat, feminam se exponere vitae periculo, & evadere incolumem, adhuc prius Matrimonium est irritum, quia jam ex tunc non valebat; & non nisi per novum consensum utriusque partis, post sublatum impedimentum, potest convalescere. Quod idem affirmat etiam Sperellus d. Decis. 141. num. 38. ubi alios DD. Theologos, ac Canonistas citat.

Quo ad Sextos Impotentes, nempe Maleficiatos; nemo est, qui neget, non raro conjuges contrahere hoc impotentiae Impedimentum ex maleficio; siquidem ita testantur Sacri Canones, Theologi, Canonistae, atque Historici, cap. Si per sortiaria, 23. quest. 1. cap. Laudabilem. & toto titulo De Frigid. & Maleficiatis. Henriquez de Matrim. cap. 8. à num. 1. & seqq. Gonzalez, in Comment. ad d. cap. Laudabilem. tom. 4. num. 6. alios DD. congerens, & declarans, illos dici Maleficiatos, quibus per magicas artes, fascinumque impedita est rei venerae facultas, & recitat exempla de Rege Amasi, qui diu nequivit cum Uxore congressum habere, magicis incantationibus impedito, ex Herodoto libr. 2. De Numantia Uxore Sylvani eodem maleficio affecta ex Tacito Annal. libr. 4. De Theodorico Rege, ex Paulo Emilio in Clotar. cap. 2. De Eulalio ex S. Gregor. Turonensi libr. 10. cap. 8. & de aliis, de quibus latius scribit Martinus Delrius Disquisition. Magic. libr. 3. quest. 4. sect. 8. in qua agit de Maleficio Ligaminis, & notat, Dæmonem reddere Sponsos impotentes ad Matrimonium consummandum septem modis. 1. Reddendo Sponsos inter se odiosos, ac despicibiles. 2. Corpora detinendo, ne se contingant, vel phantasma interponendo, dum sunt coituri. 3. Impediendo, ne spiritus vitales ad membra generationis descendant. 4. Semen prolificum exsiccando ac subtrahendo. 5. Virilem virgam flaccidam tenendo. 6. Pharmaca frigescientia applicando; & 7. Vas muliebri coarctando. De primo ex his modis scripsit Innocentius Papa III. ad Inseburgem Uxorem Philippi Francorum Regis, Anno 1205, destitutam amplexibus, ac copula ejusdem ob summum odium, ex abrupto in eam conceptum; & Epistolam Pontificiam refert Odoricus Raynaldus in Annalib. Eccles. d. Ann. 1205. num. 58. his verbis exaratam.

Innocentius &c. Novit ille, qui nihil ignorat, quod super articulo Matrimonii pro Te fecimus, quicquid homo facere poterit; sed peccatis exigentibus parum profecimus; quoniam ad exhibendum Tibi maritalem affectum, animus Charissimi in Christo Filii Nostri Philippi Regis Francorum Illustris non potest aliqua-

aliquatenus inclinari; necve Nos ejus animo amorem possumus inspirare, cum hoc solus Deus facere possit, in cujus manu cor Regis existit. Putat igitur ipse Rex, & multi etiam opinantur, quod perpetuo sit Maleficio impediens, unde non solum propter Affinitatem, verum etiam propter Maleficium à Te postulet separari. Dat. 3. Non. Julii apud S. Petrum Anno 1205.

Dupliciter autem fieri consueverunt Maleficia, vel universalia; ut Vir cum nulla foemina valeat coire: vel respectiva; ut Sponsus cum illa tantum, quam desponsavit, sit impotens ad copulam, non etiam cum aliis foeminis; prout accidisse Regi Theodorico, ac Galeatio Sfortia, qui Matrimonium cum Isabella Sfortia consummare non poterat, etsi aliis mulieribus copularetur, refert idem Delius d. sect. 8. col. 6. Respectivum quoque impotentiae ex maleficio Impedimentum est duplex; perpetuum scilicet, quod durat usque ad mortem maleficiati; & temporale, quod post aliquod tempus cessat, ac tollitur & de utroque latè agunt Sanchez d. libr. 7. disp. 94. per totam. Aversa d. quest. 13. sect. 2. Vers. Sexto. Basilius Pontius d. libr. 7. cap. 65. num. 6. Salmanticenses d. cap. 12. num. 130. Matrius d. disp. 7. num. 425. & Emin. Card. de Lauræa d. disp. 23. art. 3. qui omnes advertunt, Maleficia prædicta esse tollenda jejuniis, orationibus, Sacramentorum frequentia, ac Ecclesiæ exorcismis, non autem modis illicitis, vel contraponendo nova maleficia aut opem Dæmonis implorando; quia non sunt facienda mala, aut concurrendum ad illa, ut eveniant bona. Concedunt tamen, non esse illicitum, quatenus quis cognosceret maleficium, illum rogare, pecuniis, aut mediis justitiæ cogere, ut signum maleficii, quod apud se foret, destrueret, vel ligaturas, aut alias incantationes per se factas tolleret; ut aliis citatis scribunt Aversa d. quest. 13. sect. 2. Vers. Alio tandem modo. & Salmanticenses d. cap. 12. num. 132. eam reddentes rationem, quia sic non tollitur per novam invocationem Dæmonis, sed potius per rescissionem invocationis ejus antea factæ.

Quandocunque autem deducitur ad forum Ecclesiasticum hoc Impedimentum Impotentiae ex Maleficio, pro declarando nullo Matrimonio inter Maleficiatum, & alterum conjugem inito, semper assignandus est terminus triennii, in quo conjuges simul cohabitent, & condormiant, & interim tum opportunis medicamentis, tum supradictis piis exercitiis, ac exorcismis utantur; & ipsa triennalis cohabitatio est indispensabilis, ut demonstrat Sperellus d. Decis. 141. num. 61. ex text. in cap. fin. De Frigid. & Malefic. & ex Hostien. Jo. Andræa, Ant. de Butrio, Abbate, ac aliis in cap. Laudabilem eod. tit. & ex Rota post Vol. 2. Consilior. Farinacii Decis. 192. num. 6. & apud Seraphinum Decis. 668. num. 4. Transacto autem ipso triennio, & maleficio non soluto, illud reputatur perpetuum. Sanchez d. libr. 7. disp. 108. num. 5. Rota penes Burattum Decis. 764. num. 9. Sperellus d. Decis. 141. num. 65. & procedi potest ad de-

clarandum nullum, & invalidum Matrimonium illius maleficiati, sive maleficium fuerit respectivum, sive universale. Vinc. de Jus. filis d. libr. 2. cap. 17. num. 40. subdens, quod tali declaratione nullitatis facta, non erit ulterius Matrimonium restaurandum, quamvis postea ille, qui erat maleficiatus, cum aliis personis copulam haberet, juxta tex. in cap. fin. 33. quest. 1. ea ratione, quia respectu primæ conjugis impedimentum Impotentiae ex maleficio censetur perpetuum; unde ad eam non est obligatus redire, sed potest cum aliis novum conjugium contrahere, quod latè probat Aversa qu. 14. sect. 5. prope finem Vers. In casu autem maleficii. Sanchez d. libr. 7. disp. 99. num. 22. Matrius d. disp. 7. num. 425. & Emin. Cardin. de Lauræa d. disp. 23. à num. 62. & seqq.

Quo ad Septimos impotentes, nempe patientes defectum ætatis, quales sunt impuberes, sciendum est ab antiquis enixè curatum fuisse, ne Matrimonia in ætate tenera intrerent. Hinc, ut refert P. Stephanus Menochius in Oeconom. libr. 1. cap. 4. Vers. Primi, Esiodus Poeta Græcus vetustissimus hæc scripserat Garmina præceptiva ad Sponsos:

*Ætate matura Uxorem domum ducito,
Neque triginta annis valde multum deficiam,
Neque Superans multum: hæc tibi Nuptia erunt
tempestiva.*

Mulier vero quarto supra decimum, hoc est decimo quinto nubat.

Lycurgus non definierat annos, sed Lacedæmoniis mandaverat, ut nubarent, cum in virili fortitudine essent; filios ad bellum strenuos pro Reipublicæ defensione ut gignerent. Solon Atheniensibus indixerat, ut masculi, cum annum trigessimum quintum haberent, Uxores ducerent. Plato libr. 6. de Legib. vetuit, ne foemina nubarent ante annos 16. viri ante annos 30. Aristoteles libr. 7. Politicor. cap. 16. pro connubiis assignat Viris annum 37. mulieribus annum 18. Sed Philosophorum placitis omisis, sciendum est de Jure naturali nullam ætatem esse præscriptam ad Matrimonium contrahendum, sed utique tum de Jure Civili, tum de Jure Canonico, videlicet in masculo annum decimum-quartum completum; in foemina vero annum duodecimum pariter finitum, l. Questitum. 9. ff. de Sponsalib. l. Minorem. 4. ff. De Ritu Nuptiar. cap. Continebantur. 6. cap. Attestationes. 10. & cap. Ex Literis. 11. De Desponsat. Impuber. Ratio autem determinatæ hujus ætatis est, quia circa hos annos masculus, & foemina naturaliter habiles fiunt ad generandum; quod quidem indicat natura ipsa, quæ circa eosdem annos oriri facit lanuginem in utriusque sexus pudendis, ut ait Glossa in cap. Puberes. Verb. Pudencia. De Desponsat. Impuber. relata ab Emin. Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 168. cui consonat Narbona de Ætate ad Ann. 14. quest. 9. n. 4. & pluribus Medicis citatis Zacchias lib. 1. tit. 1. quest. 6. à n. 1. & seqq.

Igitur, cum ante prædictos annos Vir, & Foemina ab utroque Jure Civili, & Ecclesiastico

siastico reputentur impotentes ad generandum; si iisdem annis non completis Matrimonium per Verba de presenti de facto contraxerint, nulliter, & invalidè contrahunt ob impotentiae impedimentum. *cap. Quod Sedem. De Frigid. & Malef. cap. A nobis. cap. Attestationes, & cap. fin. De Desponsat. Impuber. Sanchez de Matrim. d. libr. 7. disp. 104. n. 1. & seqq. Basilius Pontius eod. libr. 7. cap. 65. num. 1. Emin. Card. de Lauræa d. disp. 23. num. 173. Aversa d. quest. 13. sect. 3. Vers. Octavo, ubi redarguit Sanchezium docentem libr. 1. disp. 17. num. 6. non esse peccatum contrahere Matrimonium ante prædictam ætatem, etsi Matrimonium sit invalidum; veritas enim stat in contrarium, quia sic contrahentes mortaliter peccant, tum quia expressè prohibentur in *cap. 2. De Desponsat. Impuber.* tum quia, cum non valeat contractus, injuria fit Sacramento. Basilius Pontius d. libr. 7. cap. 65. num. 1. Gaspar Hurtadus de Matrim. disp. 22. diff. 12. n. 45. & Narbona ad d. Ann. 14. quest. 9. num. 5. 6. & 7. reprehendens etiam Rebellium asserentem libr. 3. quest. 16. sect. 2. num. 16. ad valorem Matrimonii non requiri, ut dicta ætas sit mathematicè completa, sed satis esse, si moraliter, puta quamvis deficiant duo, aut tres menses ad complementum; nam cum hæc ætas sit definita à Jure Canonico, inire Matrimonium ante integrum ejus complementum, est nulliter agere, prout nulla esset professio Religiosa ante annum 16. à Concilio Tridentino præscriptum, ut observat Pontius d. cap. 65. num. 1. & Naldus in *Summa Verb. Etas num. 1.* & vix admitti potest alia opinio Sanchezii libr. 7. disp. 104. num. 2. quod in ultima die Anni 14. in masculo, & in ultima die Anni 12. in femina, incepta tantum, possit validè Matrimonium iniri, ob regulam, *dies incepta habetur pro completa. l. Quæ ætate. ff. de Testam.**

Hæc autem, quæ de numero annorum completorum ex præcepto Ecclesiæ pro contrahendo validè Matrimonio diximus, intelligenda sunt; nisi malicia suppleat ætatem; videlicet nisi impubes ante præscriptam ætatem antedictam sit discretus, & habilis ad copulam; sciens quale, & quantum sit onus Matrimonii, & ex proprii sui corporis constitutione aptus sit ad maritalem copulam perficiendam, & ad generandum. d. cap. Puberes. cap. De illis il 2. & cap. fin. De Desponsat. Impuber. Nec defunt exempla Impuberum, qui multo ante Annum 14. mulieres gravidarunt. Scribit S. Hieronymus in *Epist. ad Vitalem. Quod quædam muliercula cum expositum nutriti infantem, & insillaret cibis, ac nutritis officio fungeretur, cubaretque cum ea parvulus, qui usque ad decimum jam pervenerat annum, accidit, ut, plusquam pudicitia patitur, semero ingurgitaret: accensa libidine obscenis motibus ad coitum duceret infantem. Prima ebrietas alterius noctis, & ceterarum deinceps fecit consuetudinem: necdum duo fuerant menses, & ecce femine uterus incumuit.* Ex ejusdem S. Doctoris auctoritate refert P. Menochius d. lib. 1. Occorrem, cap. 4. Vers. 4. & Tiraquell. in d. l. 6.

Connubial. num. 37. à Salomone genitum fuisse Roboamum, cum vix annum decimum ætatis suæ excessisset; & ejusdem ætatis fuisse Achaz Regem Judæorum, quando ab eo genitus fuit Ezechias, Divus quoque Gregorius lib. 4. *Dialogor.* ut testatur Glossa in *Summ. 20. quest. 1.* & ibi Archidia. & Hostien. scribit, quendam puerum novem annorum copulam habuisse cum sua Nutrice, eamque reliquisse gravidam. Ego tamen id non potui in *lib. Dialogor.* invenire; prout non invenisse notant Card. & Jo: Ananias in *cap. 1. de Delict. pueror.* Item Navarrus lib. 4. *Consil. De Sponsalib. cons. 39. n. 13.* in prima editione, in posteriori vero sub *tit. d. Desponsat. Impub. cons. 4.* narrat, quandam puellam decem annorum in Regno Neapolitano peperisse. Sed quidquid sit de his, ac aliis confimilibus exemplis, certum est, quod ubi Impuberes petant, se admitti ad Matrimonium per verba de presenti ineundum, & dicant, se esse habiles ad illud consummandum, Pa-42 rochus non debet eos audire, sed remittere ad Episcopum; à quo exigendæ sunt probationes super asserita habilitate, ac potentia, ut advertunt Salmanticenses d. cap. 12. num. 125. Aversa d. quest. 13. sect. 3. col. ult. & Basilius Pontius d. libr. 7. cap. 65. num. 4. ubi ponit signa magis concludentia pro dicta habilitate; & alia plura adducit Zacchias d. lib. 1. tit. 1. quest. 6. à num. 71. ibi, si casus occurrat, ediscenda.

Tandem circa laborantes impedimento impotentiae ex defectu ætatis, non est ignorandum, quod si Matrimonium initum sit à Viro, completo anno 14. & à femina terminato anno 12. & ab eis consummari non possit ex defectu potentiae; non censetur statim Matrimonium nullum, sed expectandum est usque ad Annum decimum octavum ipsius Viri, & tunc si duret impotentia, de ea incipiendum est agere: & pro illius justificatione, quod sit perpetua ex interiori frigidityte, (nisi ex alia exteriori causa proveniat) erit assignandus terminus triennii, cum aliis circumstantiis supra recensitis circa frigidos, & maleficiatos; ut notant Salmanticenses d. cap. 12. n. 125. & Aversa d. q. 13. sect. 3. in fine. Et quoniam dictum est supra num. 6. quod eatenus impotentia perpetua consummandi Matrimonium illud dirimit, quatenus ipsum præcesserit, secus si post contractum, etsi ratum tantummodò, orta sit; petet aliquis, quid agendum, si res sit dubia, nec probari possit, quod prædicta impotentia Matrimoniale præcesserit contractum? Huic quæsito responderetur, duplicem esse DD. opinionem: alii dicunt, præsumendum esse, quod orta sit post contractum Matrimonium, ideoque illud esse penitus indissolubile; ea ratione, quia in dubio semper est pronunciandum pro Matrimonio. *cap. Licet ex quadam. 47. de Testib. cap. Duobus Judicibus. 26. De Sent. & Re Judic.* Et ita tenent plurimi, quos citat Vinc. de Justis d. libr. 2. cap. 17. num. 15. inter quos Sanchez libr. 1. disp. 18. num. 6. & lib. 7. disp. 103. num. 5. At e contra alii constanter affirmant,

Dd 3

præ-

præsumendum esse, quod ipsa impotentia præcesserit contractum Matrimonii, ac subinde illud irritum esse declarandum; quia tunc in favorem Matrimonii, ac pro ejus indissolubilitate præsumitur, quando potest consummari, & consequi ejus finis, qui est prolis generatio, & concupiscentiæ remedium; secus quando nullus ex his bonis haberi potest; & sic esse censendum omnino docent Bonacina de *Matrim. quest. 3. punct. 13. num. 11.* Mascard, de *Probat. conclus. 1025. num. 3.* Layman, de *Imped. Matrim. cap. 11. num. 3. infine.* Averfa d. *quest. 13. sect. 4. Vers. Si rursus*: ubi plurimos DD. ita sustinentes allegat; quibus adherent novissimè Salmanticenses d. *cap. 12. num. 136.* & ipse Vinc. de *Justis d. lib. 2. cap. 17. num. 18.* quare sic foret judicandum, & procedendum absque hæsitacione ad declarationem ejusdem nullitatis Matrimonii, tanquam ex impotentia perpetua præcedente irriti.

Quo ad Octavos Impotentes, hi sunt, qui nimia ætate opprimuntur, & gravi senectute laborant. De Senibus quatuor reperio notatu digna. Unum est Medicorum asserentium, Viros post annum septuagesimum impotentes fieri ad Matrimonium, deficiente tunc temporis calore nativo, & una cum ipso materia seminali. Ita Zacchias *Q. Q. Medicolegal. lib. 3. tit. 1. quest. 2. n. 15.* Fœminas verò ad summum post quinquagesimum, tunc anim cessant omnino earum menstrua, nec amplius concipere valent, nisi ex miraculo, ut in Sara, & in S. Elisabeth Præcursoris Matre. Idem Zacchias *lib. 9. tit. 3. q. 7. num. 5.* Alterum est Theologorum docentium, Masculos senes, qui seminare non possunt, etsi Uxoris claustra penetrare valeant, inhabiles esse ad Matrimonium, tanquam perpetua impotentia laborantes. Sanchez *lib. 7. disp. 92. num. 24.* ubi infinitos ita sentientes cumulat, quibus ad stipulantur Salmanticenses d. *tract. 9. de Matrim. cap. 12. num. 127.* Tertium est Canonistarum affirmantium, probabilius, ac verius esse, quod Matrimonia à senibus etiam decrepitis contracta (dummodo aliquod aliud impedimentum non obstat) esse semper valida, quia ipsi retinent habitu intrinsecam potentiam seminandi intra Vas, quamvis per accidens impedita sit ex senectute; & hoc comprobatur ex usu communi Ecclesiæ, quæ nulli seni Matrimonium denegat, & illos Uxores ducere permittit, nec nil in contrarium unquam statuit. Navarrus *lib. 4. tit. de Sponsal. conf. 15. in 1. edit.* Donatus Antonius de Marinis *Resol. Quotid. lib. 1. cap. 87. n. 4.* Rota coram Merlino *Decis. 229. num. 25.* & Vinc. de *Justis d. lib. 2. cap. 17. num. 96.* ubi alios citat. Quartum notabile dictum est Historicorum allegantium exempla multorum senum, qui etiam supra annos octoginta genuerunt filios, videlicet Plinii in *Hist. Nat. lib. 6. cap. 14.* de Massinissa Rege Numidiæ, qui cum sex, & octoginta annos ageret filium procreavit; de Catone Censorio, post octogessimum exactum annum; de Uladislo Rege Poloniæ post annum nonagesimum completum, & de

aliis non paucis, quos ex Valerio Maximo recensent Tiraquellus de *Legib. Connubial. leg. 6. à num. 22. & seqq.* & Menochius de *Arbitr. Judic. casu 89. à num. 95.* Quare opinionem Canonistarum amplectitur eximus Theologus Averfa de *Matrim. d. quest. 13. sect. 2. Vers. Septimò.* At Emin. Cardin. de Lauræa d. *disp. 23. art. 8.* illam non respuit quando senex etsi inhabilis prolificare, potens est coire, ac seminare. Porro senum conjugia semper infelicia esse pluribus auctoritatibus demonstrat Tiraquellus in d. 6. *Leg. Connubial. gloss. 1. à n. 12. & seqq.* Quod si quis petat, an validum sit Matrimonium contractum à gravi morbo oppresso, aut à moribundo? Respondetur affirmativè, quia licet hic, & nunc non sit aptus ad copulam, retinet potentiam ad illam; ideòque sæpè videmus, ita fieri, præcipuè ad legitimandam prolem ex concubina ante susceptam. *cap. Tania, Qui Filii sint legit. Salmanticenses d. cap. 12. num. 128.*

Quo ad Nonos impotentes, nempe Eunuchos, seu Spadones, utroque teste carentes; horum conjugia prohibuit, illosque ad ea contrahenda inhabiles declaravit, & defacto contracta invalida decrevit Sixtus V. die 27. Junii 1587. per suam Constitutionem 59. Incipien. *Cum frequenter*; quod notant omnes DD. Barbosa in *Summa Apostol. Decis. Verb. Eunuchus.* Salmanticenses, alios allegantes, d. *cap. 12. n. 129.* rationemque docentes, quia non habent semen prolificum; sed humorem quendam aqueum tantummodo, ex utriusque testis carentia; & ideò, si uno tantum carerent, possent validè nubere. Vinc. de *Justis d. lib. 2. cap. 17. n. 87. & 88.* & Salmanticenses d. *num. 129.* ubi subdunt, quod si post Matrimonium ritè contractum Vir fiat Eunuchus, non dissolvitur Matrimonium; sed utrùm deinde possit absque peccato copulam cum Uxore exercere? Affirmat idem de *Justis ibid. num. 88.* Negat Basilius Pontius d. *lib. 7. cap. 67.* ubi tria ponit genera Eunuchorum, carentium scilicet uno teste tantum, ambobus, ac etiam veretro, quales sunt Eunuchi, qui fœminis custodiendis ab Imperatore Turcarum hisce temporibus deputantur.

Sed objiciet aliquis: legitur in *Genes. 37. 36.* quod Madianita vendiderunt Joseph in Egypto Putifari Eunuchus Pharaonis, magistro militum. Prout etiam *Genes. 39. 1.* Emitte cum Putifar Eunuchus Pharaonis. Sed hic Eunuchus habebat Uxorem, quæ amore capta in Josephum ait illi: *Dormi mecum.* At Joseph nequam acquiescens operi nefario, dixit ad eam: *Eccè dominus meus omnibus mihi traditis, ignorat quid habeat in domo sua; nec quidquam est, quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ Uxor ejus es.* Imò idem Putiphar susceperat filiam, nomine *Aseneth*, quam postea Pharaon dedit in Uxorem Joseph facti Proregi; *Genes. 41. 45.* ibi: *Deditque illi Uxorem Aseneth filiam Putipharis.* Respondet Cornelius à Lapide *Comment. in Genes. In Supra. locis*, Principes Aulæ Regis Egypti ex antonomasia solitos vocari Eunuchos; sed ipsi natura

natura tales non erant, Aseneth autem fuisse filiam alterius Putipharis, qui erat Sacerdos Solis; Maritus autem Uxoris, quæ tentaverat Joseph de adulterio, erat Princeps militæ. At possumus etiam dicere, Putipharum post contractum Matrimonium, & susceptam filiam, ex infirmitate evasisse Eunuchum, eique virilia exaruisse, ut ex S. Hieronymo notat idem Cornel. à Lapide Genes. 39. Vers. 1.

Quo ad Decimos Impotentes, nempe Hermaphroditos, & Androgynos; hæc est regula, quod possint inire conjugium in sexu prævalente; at in sexu æquali necessarium esse iudicium Episcopi; in sexu autem minus prævalente nullo modo eos posse contrahere; & si de facto contrahant, nullum esse eorum Matrimonium. Sanchez d. libr. 7. disp. 106. Verricellus q. 196. n. 31. & 32. Aversa q. 13. sect. 2. Vers. Quinto. Vinc de Justis d. lib. 2. cap. 17. à num. 76. & seqq. qui n. 84. notabiliter dicit, quod si femina nupserit Viro, deinde in marem convertatur, Matrimonium dissolvitur; ac etiam si ante illud fuisset Hermaphrodita cum sexu femineo prævalente, nam ubi deinde sexus masculinus coeperit prævalere, irritatur conjugium, ut etiam scribunt Verricellus d. quest. 196. n. 14. in fine. & Aversa d. quest. 13. sect. 4. in princ. Qui plura scire desiderat de Hermaphroditis, legat meas Decisiones de Sacramento Pœnitentiæ, in quibus Decis. XLIII. quidquid de Hermaphroditis ex Medicis, ac Historiis sciri potest, copiose enarravi.

DECISIO XXXIII.

ARGUMENTUM.

De Impedimento dirimente, Si Rapta sit Mulier differit hæc Decisio, Raptus vel est Ecstasis mentis in Deum; vel est Crimen, per vim auferens aut bona, aut mulieres alienas. Tria jura Canonica punientia mulierum Raptore. Ex Tridentino Concilio Matrimonium esse non potest inter Raptorem, & Raptam, nisi hæc in loco tuto posita liberè consentiat. Resolvantur novem difficultates, scitu omnino necessariæ circa decretum ejusdem Concilii. Tandem per Historias, mala ex Raptu mulierum provenientia demonstrantur.

SUMMARIUM.

- 1 Raptus nomen habet significationem bonam, & malam.
- 2 Raptus significat elevationem mentis in Deum supra sensus.
- 3 Raptus in Deum diversa nomina.
- 4 Angelis, ac Beatis an conveniat Raptus?
- 5 Raptus significans crimen quid, & quomplex sit?

6 Raptus est species Luxuriæ exprimenda in Confessione.

7 Raptum facit copula carnalis violenta.

8 Raptus quando impediatur Matrimonium cum quacunque?

9 Raptus mulierum triplici Jure Canonico punitus.

10 Concilii Trid. decretum circa Raptore mulierum.

11 Ducere mulierem raptam an teneatur Raptor?

12 Rapere puellam consentientem an sit Raptus?

13 Puellarum Raptus frequens apud rusticos, ac villanos.

14 Patavine Diæcesis consuetudo, & pœna in villanos rapientes Puellas.

15 Carceratio Raptoris remedium bonum, ne raptus puellarum fiat.

16 Andreas Erizzo Prætor Padue Anno 1691. laudatus.

17 Raptus mulieris ad explendam libidinem an sit Impedimentum dirimens?

18 Raptus propria Sponsæ an dirimat Matrimonium celebrandum?

19 Rapere suam Uxorem in Matrimonio Rato intra bimestre an liceat?

20 Obsessio mulieris in propria domo habet vim Raptus.

21 Precibus importunis abducere puellam an sit eam rapere?

22 Fraude, ac dolo si puella invita abducatur è sua domo, an sit Raptus?

23 Femina si virum rapiat, an Raptus impedimentum incurrat?

24 Parochus assistens Matrimonio Raptoris cum Rapta an incurrat pœnam Trid. Concilii?

25 Dispensatio Apostolica in quocunque impedimento addit, si mulier rapta non fuerit.

26 Raptorem quando non possit Ordinarius ab excommunicatione absolvere?

27 Raptus mulierum semper parit mala, ac exitus infelices.

28 Ezzelinorum cum Camposampertis de Padua clades ob Raptum Mulieris.

29 Raptus non dirimit Matrimoniam contrahendum, ubi Conc. Tridentinum non est receptum.

DE Impedimento Raptus Matrimonia dirimente, ut clarè, ac breviter hic differamus; non est ignorandum, hanc Vocem Raptum habere bonam, ac malam significationem. Ejus bona significatio est, quatenus innuit Ecstasim, ac excessum mentis humane in Deum; siquidem, ut docet S. Thomas 2. 2. quest. 175. art. 5. Raptus est ab eo, quod est secundum naturam in id, quod est supra naturam, ex vi Superioris nature, elevatio. Et ideo, quando mens humana elevatur supra sensus